

*citas tantum intelligit, non noxias humana vi-
ta & pestiferas; quæ ἀνορολογικῶς scientia di-
cuntur, & potius suo veroque nomine, inscitia,
nam homo pictus non est homo. Deinde fingamus,
si libet, Mosen non fuisse Magiæ imperitum;
multum tamen opinor differre theoriam à pra-
xi, nam & DEO, semper optimo, omnia nota
sunt, bona malaque; & nostra ignorantia ex
peccato & debilitate proficiscitur. Denique ut
vel maxime concederem, habuisse Mosen artis
magicæ & noritiam & usum, quod nemini
Christiano unquam persuadeas: constat ta-
men eum, ante Spiritus Sancti vocatio-
nem, fugisse ex Ægypto, jam quadragena-
rium, patrarâ scilicet Ægyptii cæde: & in
soceri Jethronis Patriâ, exactis postea qua-
draginta annis exilii, ex rubo ardente de-
mum à DEO vocatum fuisse: ut si ante im-
probissimus foret, tum planè, novus evale-
rit, & à priore Mose totus mutatus. Abra-
hamus similiter, ante fœdus ictum cum
DEO, Idolis serviit in Ur Chaldæorum; &
Paulus sub Sauli nomine sanctorum hostis
fuit acerrimus.*

§. 7. En illa Lutheri acutissimi æquè ac
felicissimi Disputatoris, atque tot palma-
rum Athletæ, exempla præbita, cum dedu-
ctione ad absurdum tom. 2. lat. p. 293. f. 2.
*Si nulli licet S. literas suo Spiritu interpretari,
Cur ergo non observant, nec Augustino, nec ulli
alijs*